

For the purpose of information we reproduce the text of the Signatura Apostolica concerning a recourse against a decision of the Congregation for Divine Worship and the Discipline of the Sacraments which upheld the decision of the Archbishop of Cincinnati, His Excellency Monsignor Daniel E. Pilarczyk to reorder the church of Saint Stephen, Hamilton, in conformity with the provisions of Sacrosanctum Concilium n. 128 and the Instruction Inter Oecumenici n. 90.

Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae

DECRETUM DE CAUSA CINCINNATENSIS RENOVATIONIS ECCLESIAE PAROECIALIS

(D.NUS IOSEPH A. WOLTERING - CONGREGATIO DE CULTU DIVINO
ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM)

Exc. mus Archiepiscopus Cincinnatiensis die 2 martii 1989 decrevit, inter alia, renovationem ecclesiae antea Sancto Stephano nunc, vi eiusdem Decreti, Sanctae Iuliae Billiart dicatae in oppido v.d., Hamilton. D.nus Ioseph A. Woltering, die 8 martii eiusdem anni, ab Archiepiscopo scripto petivit, ut per tres annos differretur renovatio praefatae ecclesiae, quibusdam urgentioribus exceptis. Hanc petitionem Archiepiscopus litteris diei 21 martii reiecit. Respondit D.nus Woltering, inter alia provocans ad can. 214, se recursum hierarchicum institutum esse.

Die 20 martii eiusdem anni, Cl.mi Franciscus Torre et Nerius Capponi, Procuratores-Advocati D.ni Woltering, coram Congregatione de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum suspensionem praefati Decreti rogaverunt, ad normam can. 1736, §2.

Die 28 martii 1989, D.nus Woltering, nomine proprio et aliorum, per eosdem Procuratores-Advocatos recursum hierarchicum contra Decretum Archiepiscopi apud praedictam Congregationem porrexit, quae litteris diei 10 maii 1989 suspensionem Decreti denegavit, declarans: « Il provvedimento in questione dell'Arcivescovo è motivato da finalità pastorale: l'attuazione del Concilio Vaticano II, anche in ciò che riguarda

gli edifici sacri, secondo quanto è previsto nella Costituzione " Sacrosanctum Concilium ", n. 128 e stabilito dalla Istruzione " Inter Oecumenici " (26 settembre 1964), n. 90... L'Ecc.mo Arcivescovo, a norma del can. 1216 C.I.C., ha consultato non solo i periti in materia, ma ha avuto anche il parere favorevole del Consiglio Presbiterale. Non è inoltre richiesto alcun consenso da parte dei fedeli ».

Cl.mi Procuratores-Advocati D.ni Woltering, die 29 maii 1989, adversus decisionem Congregationis huic Supremo Tribunali recursum exhibuerunt duobus argumentis suffultum, scilicet: asserta falsa interpretatione, ex parte Congregationis, n. 90 Instructionis « Inter Oecumenici » propter eiusdem ecclesiae valorem ratione historiae et artis, et asserta violatione cann. 1292, §2, et 1295, ex parte Archiepiscopi, propter alienationem ultra summam maximam a Conferentia Episcoporum statutam.

Die 26 iunii 1989, Exc.mus huius Supremi Tribunalis Secretarius declaravit recursum considerari non posse, quia praedicti Procuratores-Advocati non sunt Advocati Consistoriales nec Sacrorum Palatiorum Apostolicorum, nec adnumerati inter Advocatos apud Romanam Curiam. Tamquam terminus fatalis ad recursum iterandum stabilita est dies 31 augusti.

Cl.mi F. Torre et N. Capponi ab Em.mo Cardinali Praefecto die 10 iulii 1989 petierunt, ut in casu munere procuratoris-advocati fungi possent, quod, die 22 iulii, soli Cl.mo Torre concessum est, dum Cl.mus Capponi admissus est ad munus tantummodo advocati exercendum in casu. Die 31 augusti 1989 Cl.mi Patroni Recurrentis mandatum authenticum a solo D.no Woltering subscriptum et memoriale pro ipso huic Signaturae Apostolicae exhibuerunt. Patronus Publicae Administrationis, Cl.mus Conradus Bernardini, die 29 septembris 1989 « Breve memoriale pro Sacra Congregatione conventa » praesentavit. Exarato voto Rev.mi Promotoris Iustitiae deputati, ad quod Patroni utriusque partis responderunt.

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Omnibus sedulo examini subiectis:

Perpenso, quoad legitimationem activam Recurrentis, quod:

— Non sufficit quodcumque gravamen, ut quis legitimatione activa gaudeat ad recursum iuridicum instituendum; requiritur gravamen iuridica consideratione dignum, quod revera habetur non propter laesionem

cuiuscumque utilitatis vel commodorum, sed propter læsum interesse personale, directum, actuale, in lege fundatum et proportionatum (cfr. Decretum Definitivum huius Supremi Tribunalis, diei 23 ianuarii 1988, in *Communicationes* 20, 1988, pp. 88-94; vide n. 5, p. 91);

— Ius, de quo in can. 214, cum quadam ecclesia paroeciali vel æde sacra vinculatum non est (cfr. *ibid.*, n. 7, a, p. 93), eo vel minus cum eiusdem interna dispositione, decoratione et ornatu;

— Sicut suppressio ecclesiæ, ita etiam renovatio ecclesiæ fons esse potest quorundam incommodorum vel difficultatum; sed huiusmodi interesse, etsi reale, non apparet in lege ita fundatum ut legitimet verum recursum; ansam quidem præbere potest pro petitione gratiæ, minime vero pro recurso iuridico (cfr. *ibid.*, n. 7, b, pp. 93-94);

— « Idem dicendum est de interesse generali, quod omnes fideles habent pro conservandis ædibus sacris vel monumentis Ecclesiæ arte vel historia præstantibus. Fideles possunt auctoritati ecclesiasticæ superiori optata sua vel querimonias pandere; interesse tamen huiusmodi fundamentum nullo modo præbet pro recurso hierarchico exhibendo » (*ibid.*, n. 7, c, p. 94);

Cum proinde Recurrens legitimationem activam in casu non habeat;

In Congressu die 26 ianuarii 1990, coram infrascripto Em.mo Cardinali Præfecto habito,

decrevit

Recursum a limine esse reiiciendum propter defectum legitimationis activæ in Recurrente.

Datum Romæ, e sede Supremi Signaturæ Apostolicæ Tribunalis, die 26 ianuarii 1990.

ACHILLES CARD. SILVESTRINI

Praefectus

✠ ZENON GROCHOLEWSKI
*Episcop. tit. Acropolitani
a Secretis*